INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCXCV

A DIE XV MENSIS APRILIS

HABENDARVM.

PRAEMISSA EST EDUARDI NORDEN
DE STILONE COSCONIO VARRONE GRAMMATICIS COMMENTATIO.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE
MDCCCXCV.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

EDVARDVS KOSCHWITZ

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

Varro *de l. l.* VI, ubi de *inlicium* vocabuli significatione prisca exponit, exempla affert ex censoriis tabulis (§ 86 sq) et commentariis consularibus (§ 88) petita, atque cum in illis praeco populum dicatur inlicium vocare, in his accensus, haec addit (§ 89):

(I) *quare hic accenso, illic praeconi dicit, haec est causa: in aliquot rebus item ut praeco accensus acciebat, a quo accensus quoque dictus. accensum solitum ciere Boeotia ostendit, quam comoediam Aquilii esse dicunt, hoc versu:*

ubi primum accensus clamarat meridiem.

hoc idem Cosconius in actionibus scribit praetorem accensum solitum esse iubere, ubi ei videbatur horam esse tertiam, inclamare horam tertiam esse, itemque meridiem et horam nonam.

Quale id Cosconii opus fuerit, inter viros doctos dubitatur, qua de re priusquam accuratius agam, sub uno conspectu ponam cetera Cosconii[1]) fragmenta.

(II) Varro *de l. l.* VI 36 *verborum si primigenia sunt ad mille, ut Cosconius scribit.*

(III) Suetonius *de poetis* in vita Terentii p. 32, 13 Reiff. *Q. Cosconius redeuntem e Graecia perisse in mari dicit* (sc. Terentium) *cum fabulis conversis a Menandro.*

(IV) Solinus 2, 13 *ab uxore* (sc. Aeneae) *Lavinium* (sc. appellatum esse inter omnes convenit), *quod post Troiae excidium, sicuti Cosconius perhibet, quarto anno extructum est.*

In his Cosconii notitiam uni deberi Varroni perspicuum est: Suetonii enim locum ad Varronis auctoritatem redire constat, idque et Ritschelius (op. III 256 = Sueton. reliqu. ed. Reiffersch. p. 518) et Hertzius (Fleckeiseni annali a. 1862, p. 52) statuerunt, ut non alium esse Cosconium in libris de lingua latina commemoratum, alium cuius testimonium in vita

---

1) Cic. *Brut.* 242 inter oratores ponit C. Cosconium Calidianum, qui num idem fuerit, etsi tempora fere congruere videntur, non constat.

Terentii affertur docerent. Sed Solini quoque locum, quem et illi et Teuffelius (hist. litt. Rom.[5] § 159, 7) neglexerunt, Varroni deberi (fortasse intercedentibus Hygini *de situ urbium Italicarum* libris), si totum caput perlegeris, veri simillimum videbitur.

Iam vero Ritschelius Cosconii librum *de actionibus* in eodem argumento versari in quo Varronis libros *de scaenicis actionibus*[1]) coniecit, refutatus ab Hertzio, qui ne posse quidem actiones sic positas idem significare quod actiones scaenicas rectissime statuit. Idem ascito altero loco Varronis *de l. l.* VII 93 *quibus res erat in controversia, ea vocabatur lis; ideo in actionibus videmus dici 'quam rem sive me litem dicere oportet'*, etiam priore loco actiones intellegendas esse eas quae in iure fiunt (cf. actiones Manilianas et Hostilianas Varr. *r. r.* II 5, 11; 7, 6. Cic. *de or.* I 245 sq.) comprobavit, sed quod addit non librum denotari Cosconii, qui inscriptus fuerit *de actionibus*, sed ita verba iungenda esse quasi per hyperbaton: *hoc idem Cosconius scribit, in actionibus praetorem accensum solitum esse iubere*, id neque per linguae neque per sententiae leges fieri potest. Neque Hertzium sequitur Ioersius, Roemische Rechtswissenschaft zur Zeit der Republik I (Berolini 1888) p. 89, 2, qui recte id quoque addit, non alienam esse ab id aetatis homine artis grammaticae iurisque coniunctionem; nisi quod mihi ne opus quidem esse videtur, in altero libro Cosconium fingere iurisconsultum, grammaticum in altero; puto enim facili negotio posse demonstrari, in ipsa grammatici persona Cosconium de actionibus egisse. Quod in aperto esset, si ad L. Aelium Stilonem pertinerent haec Ciceronis verba *de oratore* I 193 *sive quem haec Aeliana* (*aliena* libri, corr. Madvicus) *studia delectant, plurima est et in omni iure civili et in pontificum libris et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod et verborum vetustas prisca cognoscitur et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem vitamque declarant:* quae cum de Stilone dicta esse censeant Piderîtus-Harnecker in adnotatione et Jahnius ad Cic. *Brut.* § 205 sq., ad Sex. Aelium Paetum, iurisconsultum nobilissimum, cos. a. 556 potius referenda esse, Voigtius argumentis certissimis probavit (act. acad. reg. Saxon. vol. VII a. 1879 p. 324 sqq.). Extat autem alter Ciceronis locus, quo recte explicato argumentisque aliunde petitis illustrato et de Cosconio et de Stilone rectius iudicari poterit. Cicero enim in *Bruto* ita scribit § 205 sq.:

> *Aelius . . . . eruditissimus et Graecis litteris et Latinis antiquitatisque nostrae et in inventis rebus et in actis scriptorumque veterum litterate peritus: quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese . . . pluribus et illustrioribus litteris explicavit.*

1) Varro tres libros scripsit *de scaenicis actionibus.* Quem titulum in indice Hieronymiano sequitur hic: *de actis scaenicis.* Qua tandem causa Varronem permotum esse putabimus, ut idem adiectivum modo anteponeret nomini modo postponeret? Res in aperto erit, si eiusdem libros comparaveris hos: *de origine linguae latinae — de scaenicis originibus, de vita populi Romani — de sua vita, quaestiones Plautinae — epistolicae quaestiones* (ita enim hos libros citant quater Gellius, quater Charisius, semel Festus p. 339, qui perperam *quaestiones epistolicae* p. 142). Nimirum videtur antecedere nomini adiectivum, quo similes tituli secernantur: unde perspicitur, cur illos libros inscripserit *de scaenicis actionibus*, scilicet ut diversi essent aut a Cosconii libris *de actionibus* eis quae in iure fierent aut a suis *de iure civili*, in quibus quin copiosissime et fortasse integro libro de actionibus egerit eo minus dubitari potest, quod libri numero fuerunt quindecim. — Ceterum eodem consilio Lactantium puto operi suo inscripsisse *divinas institutiones*, ne confunderentur cum institutionibus vel oratorum vel iurisconsultorum. Atque omnino, quo discerneretur titulus generalis a speciali, adiectivum praeposuisse videntur, cf. Senecae *naturales quaestiones*, Plinii *naturalis historia*, Suetonii *ludicra historia*.

Quae verba quia non satis diligenter tractata sunt a Mentzio, qui novissimus bene egit de Stilone (comm. phil. Jen. IV 1890), nos paulo accuratius inspiciamus. Primum igitur Cicero Stilonis peritiam antiquitatis in rebus inventis praedicat: quae graece εὑρήματα esse Iahnium non fugit: addi potest confirmari Ciceronis de Varrone Stilonis sectatore testimonium Servii verbis in Verg. *aen.* VII 176, ubi Varronem in libris *de gente p. R.* exposuisse dicit, *quid Romani a quaque traxerint gente per imitationem* (cf. Kettner, Varronische Studien p. 60): id enim argumentum artissimis vinculis conexum esse cum libris quos περὶ εὑρημάτων condiderunt auctores et Graeci et Romani notissimum est; quid quod casu factum est, ut in miseris quae aetatem tulere Stilonis fragmentis unum inveniatur argumento illi cognatum? Plinius enim *n. h.* IX 123 ubi de margaritis verba fecit, haec addit: *Romae in promiscuum ac frequentem usum venisse Alexandria in dicionem redacta, primum autem coepisse circa Sullana tempora minutas et viles Fenestella tradit manifesto errore, cum Aelius Stilo Iugurthino bello unionum nomen impositum maxime grandibus margaritis prodat.* De inventis rebus nihil adderem, nisi Woelfflini errorem quendam eximendum esse censerem. Is enim cum de columnae rostratae inscriptione nuper copiose ageret (nunt. acad. reg. Bav. 1890 p. 293 sqq.), novae cuiusdem vel certe relictae sententiae patronus exstitit, cum titulum illum ex ipsa illa columna post finitum bellum Punicum primum Duilio posita Augustea fere aetate ab homine antiquitatis peritissimo expressum esse contenderet argumentis usus, ut ipsi quidem visum est, tam firmis, ut artis epigraphicae studiosis abhinc alia quam qua soliti essent via procedendum esse profiteretur. Nihil ad rem, quod mihi minime persuasit: tamen unum quod attulit argumentum accuratius ut in re proposita mihi disceptandum est. Cum enim in titulo haec scripta sint: *rem navebos marid consol primos c[eset]*, et *clases primos ornavet paravetque*, et *[primos] navaled praedad poplo[m donavet]*, Woelfflino (p. 305 sqq.) haec veterum Romanorum animum mire spirare visa sunt, qui qua essent antiquarum rerum tenacitate, si quid novi accessisset, ei sedulo animum adverterent. Quod ut demonstret, amplissima utitur quibus aliquis aliquam rem primus fecisse narratur exemplorum copia. At quae tandem haec sunt? Antiquissimum legitur apud Rutilium Rufum (fr. 13 Pet.) *primum lecticis utebatur;* sequitur Nepotis fragm. librorum quibus inscripsit *exempla* apud Plinium *n. h.* XXXVI 48: *primum Romae parietes crusta marmoris operuisse ... Mamurram;* porro similia multa addit ex auctore de viris illustribus, velut haec: 20 *Licinius Stolo primus omnium sua lege punitus est* 40 *Regulus primus Romanorum ducum in Africam classem traiecit* 47 *Cato basilicam suo nomine primus fecit* cet.; accedunt periochae ex Livio factae, velut per. 1 *Servius Tullius censum primum egit* 19 *Atilius Calatinus primus dictator extra Italiam exercitum duxit* cet. Quid igitur? haecine antiquitatem spirant belli Punici primi? immo ita abhorrent ab illa aetate, ut apertissimas graecae doctrinae notas in fronte gerant: scilicet redeunt ad notissimum Aristotelis ceterorumque peripateticorum studium explorandi ἃ ἄν τις πρῶτος εὕρῃ: quae cum fastidio legimus ab exarato marmore Pario usque ad Suidam, a Rutilio illo Rufo (quo non occurrit exemplum antiquius, Aelius enim Stilo eius aequalis fuit; atque instructus erat Rufus Graecis litteris, Panaeti auditor, teste Cicerone *Brut.* 114) usque ad scriptores de viris illustribus, Varronem (cf. etiam Symmachus *epist.* I 4 p. 5, 12 Seeck.) Nepotem tales, a quibus pendet anonymus ille, et ad Livii periochas, factas illas maxime

in usum rhetorum, ex ipso enim Livio, quod satis memorabile mihi videtur esse, nullum exemplum attulit Woelfflinus: prorsus enim aliter comparatum est, quod unum simile esse dicit XXII 8, 1: *quia et consul aberat, a quo uno dici posse videbatur* (dictator), *nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuntium aut litteras mitti, quod numquam ante eam diem factum erat, dictatorem populus creavit;* nimirum Livius, rerum gestarum scriptor, recto usus iudicio a more illo abstinuit. Itaque exemplis illis congestis Woelfflinus non modo non effecit quod voluit, sed novo invitus argumento comprobavit, columnae rostratae titulum aetate imperatoria conceptum esse adhibitis quae in re simili versarentur inscriptionibus; bene autem accidit, ut ipse ille Duilius, εὑρετής, ut ita dicam, τῶν παρὰ Ῥωμαίοις ναυτικῶν, inter ipsa illa εὑρημάτων exempla ter occurrat: Liv. *per.* 17 *Duilius primus omnium Romanorum ducum navalis victoriae duxit triumphum*; Cic. *de sen.* 44 *Duilius, qui Poenos classe primus devicerat;* Sen. *de brev. vit.* 13, 3 *audivi quendam referentem, quae primus quisque ex Romanis ducibus fecisset: primus navali proelio Duilius vicit, primus Curius Dentatus in triumpho duxit elephantos* e. q. s.: haec Seneca sibi relata esse narrat a grammatico quodam: grammaticus mediocriter doctus inscriptionem illam refingens umbratilem eruditionem valde intempestive prae se tulit.

Redeo ad Ciceronis locum qui est de L. Stilone. Inventae enim res cuius generis essent, postquam vidimus, restat ut inquiramus, num forte ex 'actis rebus', quarum Stilonem peritum fuisse Cicero dicit, aliquid concludendum sit de Cosconii grammatici actionibus. Atque Mommsenus quidem in hist. Rom. vol. II⁷ p. 457 Ciceronis verba ita interpretatur, ut Stilonem omnes res in annalibus commemoratas studiis suis complexum esse dicat, eumque sequitur Iahnius in adn. ad l. c. Neque dubitari potest, quin recte illi, modo ne de seditionibus bellis similibusque rebus, quae in annalibus enarrabantur, Stilonem egisse credamus: immo maxime ad privatae vitae antiquitates hoc Stilonis studiorum genus pertinuisse celeberrimo illo academicorum posteriorum prooemio apparet, quo Cicero, quid post L. Aelii mortem unus Varro Romanos docuerit exponit: *nam nos,* inquit, *in nostra urbe peregrinantis errantisque tamquam hospites tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere* e. q. s. Vitam autem privatam quasi in speculo quodam repraesentatam habuerunt Romani in iure civili: illo igitur Stilo usus est eumque secutus Cosconius.[1]) Quid quod de Stilone hodieque id certissime potest comprobari. Hinc enim, ut pauca afferam exempla e multis, Stilo *nuptias dictas esse ait, quia flammeo caput nubentis obvolvatur, quod antiqui obnubere vocarint: ob quam causam legem quoque pervetustam iubere caput eius obnubere, qui parentem necavisset* (Fest. 170), hinc ad XII tabulas provocabat, quibus de lesso et sontico morbo doceret (Cic. *de legg.* II 23, 59, Festus 290): porro *intempestam* (noctem) *dicebat, cum tempus agendi est nullum* (Varro *de l. l.* VI 7), quod a

1) Eandem ob causam antiqui grammatici etiam proverbia exploraverunt, cf. Varro apud Servium in Verg. *aen.* VIII 128, et maxime Sinnius Capito, cuius ad auctoritatem cum saepissime apud Festum referantur proverbia, eum peculiari opere de proverbiis scripsisse Hertzius coniecit (Philol. I 610 sqq.). Etiam hac in re Romani Graecorum vestigia legerunt: Asclepiadem enim Myrleanum Sextus Empiricus refert (*adv. math.* I 253) in historica grammaticae parte posuisse τὸ περὶ παροιμιῶν. Quem postea secutus est Lucillus Tarrhaeus. Grammatici graeci rursus pendent ab Aristotele, primario omnium auctore: is enim primus docuerat proverbia esse παλαιᾶς φιλοσοφίας ἐν ταῖς μεγίσταις ἀνθρώπων φθοραῖς ἀπολομένης ἐγκαταλείμματα περισωθέντα διὰ συντομίαν καὶ δεξιότητα (Synes. *laud. calv.* 22).

Stilone, cum de XII tabulis ageret, scriptum esse puto propter haec Macrobii verba (*sat.* I 3, 15): *'suprema tempestas' hoc est diei novissimum tempus, sicut expressum est in duodecim tabulis* (I fr. 9 Schoell.): *'solis occasus suprema tempestas esto'. deinde vespera . . . ab hoc tempore prima fax dicitur, deinde concubia, deinde intempesta, quae non habet idoneum tempus rebus gerendis.* Omitto cetera Stilonis fragmenta quae ad ius pertinere videntur, cum res ipsa quam comprobaturi eramus clarissima sit: unde enim nobis plura vetustissimarum legum fragmenta innotuerunt quam ex glossographis qui fuerunt inde a Varrone? qui eo ipso loco, unde profecti sumus, tot veterum commentariorum formulas exhibet, ut suspicio oriatur, haec omnia inde a § 86 ex Cosconio, quem commemorat demum § 89, sublata esse, quamquam id nolo pro certo ponere. Neque operae pretium est, ex Varronis scriptis fragmenta quae ad ius pertinent grammatica colligere, quod si facerem, ut in re nota fastidium moverem legentibus. Quanto enim studio Varro res ad ius pertinentes tractarit, etiam inscriptio operis *de iure civili* demonstrat. Qua in re posterioris aevi grammatici eum secuti sunt, ut Capito et Cincius; atque C. Aelius Gallus, quem saepius citat ex Verrio Festus, libros scripserat *de significatione verborum quae ad ius pertinent* (cf. Gell. XVI 5, 3): iam cum apud Festum saepe Aelius citetur omisso cognomine, difficile saepe est dictu, uter significetur (cf. Schoellius in editione legis XII tabularum p. 26 sqq. Reitzensteinius, Verrianische Forschungen p. 88 sqq.), ut videas, quam incertus sit limes quo grammatici officium discernatur a iurisconsulti; qua in re sola a graecis grammaticis cum magna sua laude latini differunt. Hinc etiam in postremae aetatis glossariis explicantur saepe vocabula iuris, cf. Loewii Prodromus glossariorum p 97. Rudorffius act. acad. Berol. a. 1865 p. 181 sqq.

Ceterum versa vice etiam iurisconsulti data occasione de rebus ad vitam privatam attinentibus uberius quam res ipsa flagitabat videntur disputasse. Certe Atei Capitonis non pauca extant eiusmodi fragmenta, velut teste Plinio (*n. h.* XIV 92. XVIII 107) de vini generibus a Plauto commemoratis (*Pers.* 87 sq. *Pseud.* 741. *Acharistionis* fr. II), secutus Scaevolam et ipsum iurisconsultum, et de artoptis ascito versu Plautino (*Aul.* 400) idemque teste Gellio (XX 2) de siticinibus qui apud priscos in funere agendo tuba canere solebant disseruit, cf. Ritschelius Parergon p. 370 sqq. Neque ab ipsa verborum interpretatione alieni erant Augusteae aetatis iurisconsulti, velut confer quae de M. Antistio Labeone scribit Gellius XIII 10, 1 sq.: *Labeo Antistius iuris quidem civilis disciplinam principali studio exercuit et consulentibus de iure publice responsitavit, set ceterarum quoque bonarum artium non expers fuit et in grammaticam sese atque dialecticam litterasque antiquiores altioresque penetraverat, Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat, eaque praecipue scientia ad enodandos plerosque iuris laqueos utebatur. sunt adeo libri post mortem eius editi qui 'posteriores' inscribuntur, quorum librorum tres continui, tricesimus octavus et tricesimus nonus et quadragesimus, pleni sunt id genus rerum ad enarrandam et inlustrandam linguam Latinam conducentium.* Hinc apparet quo iure Schoellius in XII tabularum reliquiis p. 10, 3 scripserit: 'Omnino ista aetate hae scientiae non tam certis finibus inter se disiunctae erant'; hinc denique factum, ut qui saeculo XI in Italia iuris scientiam resuscitarent, a grammaticis proficiscerentur quaestionibus, cf. Giesebrechtius, De litterarum studiis apud Italos primis medii aevi saeculis (Berolini 1845) p. 21.

Denique Cosconius de Lavinio ab Aenea quarto anno post Troiae excidium exstructo disputarat (fr. IV). Quid haec ad grammaticum? Atque Mommsenus quidem (praef. Solin. p. XVI) hunc Cosconium vix eundem esse putat atque eum, quem Varro in libris de lingua latina citat. Tamen haec tum adeo non abhorrebant a studiis grammaticis, ut intima ratione cum iis coniuncta essent. Ut enim nostri temporis homines grammatici studiis etymologicis dediti, cum ad radices usque penetrare volunt verborum, non solum linguam cuiusque populi respiciunt, sed etiam quibus quisque usus sit moribus atque institutis et praesertim quibus olim in regionibus vitam egerit, prius quam certas sedes occuparet, diligenter perscrutantur, ne manca sit a multis partibus disciplina quae in verborum originibus explicandis versatur: ita iam olim grammatici Romani, ei qui de verborum origine disputaturus esset, non parvam simul curam adhibendam esse ipsius populi, de quo ageret, origini indagandae, rectissime intellexerunt. Ipse iam Cato in *Originibus* priscos Romanos linguae graecae peritissimos fuisse, ut qui ex ipsa Graecia vetustissimis temporibus in Italiam transmigrassent, exposuit (cf. maxime fragm. 19 Pet.); ac vide modo ipsum Varronem: iuvenis misit Accio seni libros *de antiquitate litterarum*, quas ab Euandro in Italiam advectas esse docuit (cf. Wilmannsius, De Varronis libris grammaticis p. 120 sq.); tum vero ab hoc grammatico scribendi genere deflexit ad antiquitates, quibus triginta fere annos ita detinebatur, ut praeter libros *de origine linguae latinae* ad Cn. Pompeium missos ne attingeret quidem grammaticam: ad quam multiplici demum instructus scientia reversus est. Hinc igitur factum est, ut Varro in libris *de lingua latina* originem verbi expositurus totiens ad fabulam illam nobis molestissimam, at illis religiose servatam et creditam de Graeca Romanorum origine recurreret, cf. V 21 (postquam *terminus* vocabulum derivavit a terendo): *hoc Graeci quod τέρμονα, pote vel illinc: Euander enim qui venit in Palatium, e Graecia Arcas.* 53 *Palatium, quod Pallantes cum Euandro venerunt, qui et Palatini*; [*alii, quod Palatini,*] *aborigines ex agro Reatino qui appellatur Palatium, ibi consederunt* (cf. Dionys. *arch.* I 14, 2. 31, 4). 101 *lepus quod Siculi quidam Graeci dicunt λέποριν. a Roma quod orti Siculi, ut annales veteres nostri dicunt, fortasse hinc illuc tulerunt et hic reliquerunt id nomen.* Gell. XI 1, 5 *vocabulum . . . multae Varro in uno vicesimo rerum humanarum non Latinum sed Sabinum esse dicit idque ad suam memoriam mansisse ait in lingua Samnitium qui sunt a Sabinis orti* (cf. Festus p. 142), al. Quam ille quaestionem copiosissime tractavit libris *de origine linguae latinae* (cf. fr. 106 Wilm.); atque quam accurate singula quaeque investigarit, luculentissime apparet fragmento 108, quod servavit Ioannes Lydus *de mag.* II 13:

> τὴν ὅλην κατασκευὴν τοῦ περιζώματος οἱ Γάλλοι καρταμέραν (sc. λέγουσιν), ἣν τὸ πλῆθος καρτάλαμον ἐξ ἰδιωτείας ὀνομάζει. ὅτι δὲ οὐ Ῥωμαϊκὸν τουτὶ τὸ ῥημάτιον, μάρτυς ὁ Ῥωμαῖος Βάρρων ἐν βιβλίῳ πέμπτῳ περὶ Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου (de hac inscriptione vide Wilmannsium p. 130, quamquam mihi non prorsus persuasit), ἐν ᾧ διαρθροῦται, ποία μέν τις λέξις ἐστὶν Αἰολική, ποία δὲ Γαλλική, καὶ ὅτι ἑτέρα μὲν ἡ Θούσκων, ἄλλη δὲ Ἐτρούσκων, ὧν συγχυθεισῶν ἡ νῦν κρατοῦσα τῶν Ῥωμαίων ἀπετελέσθη φωνή.

Quae verba exscripsi, quippe de quibus Wilmannsius p. 131 non prorsus recte mihi videatur disputasse. Stultitiae enim arguit Lydum vel impudentiae, qui Varronem docuisse prodat e linguis aeolica gallica etrusca inter se mixtis linguam latinam ortam esse. Atqui audi Diony-

sium, cum dicat in fine primi antiquitatum libri (c. 90): Ῥωμαῖοι δὲ φωνὴν μὲν οὔτ᾽ ἄκρως βάρβαρον οὔτ᾽ ἀπηρτισμένως Ἑλλάδα φθέγγονται, μικτὴν δέ τινα ἐξ ἀμφοῖν, ἧς ἐστιν ἡ πλείων Αἰολίς, τοῦτο μόνον ἀπολαύσαντες ἐκ τῶν πολλῶν ἐπιμιξιῶν, τὸ μὴ πᾶσι τοῖς φθόγγοις ὀρθοεπεῖν. Hi barbari quinam fuerint, idem docet capitis antecedentis § 3 αἱ δὲ τῶν βαρβάρων ἐπιμιξίαι, δι᾽ ἃς ἡ πόλις πολλὰ τῶν ἀρχαίων ἐπιτηδευμάτων ἀπέμαθε, σὺν χρόνῳ ἐγένοντο. καὶ θαῦμα μὲν τοῦτο πολλοῖς ἂν εἶναι δόξειε τὰ εἰκότα λογισαμένοις, πῶς οὐχ ἅπασα ἐξεβαρβαρώθη Ὀπικούς τε ὑποδεξαμένη καὶ Μαρσοὺς καὶ Σαυνίτας καὶ Τυῤῥηνοὺς καὶ Βρεττίους Ὀμβρικῶν τε καὶ Λιγύων καὶ Ἰβήρων καὶ Κελτῶν συχνὰς μυριάδας ἄλλα τε πρὸς τοῖς εἰρημένοις ἔθνη τὰ μὲν ἐξ αὐτῆς Ἰταλίας τὰ δ᾽ ἐξ ἑτέρων ἀφιγμένα τόπων μυρία ὅσα οὔτε ὁμόγλωττα οὔτε ὁμοδίαιτα.[1]) Haec Dionysius, homo omnium maxime φιλορώμαιος; neque aliter ipsos statuisse Romanos, haud exiguo eorum vocabulorum numero demonstratur, quorum originem e linguis et italicis, velut ex osca et tusca, et peregrinis, velut ex gallica et hispaniensi, repetebant[2]): cuius rei Varro ipse permulta exhibet exempla in libris *de lingua latina*; accedit ex libro *rerum divinarum* XIV disputatio de gallica petorriti, hispanica lanceae voc. origine (Gellius XV 30,7). Ac sicuti tota fere ars grammatica, ita haec quoque ratio ex Graecorum disciplina descendit. Plato enim in *Cratylo* barbarorum quoque linguam ascivit, qua graecorum verborum origo pateficret: quae Plato in Cratylo exposuerat, per Stoicos fluxit in Romanorum artem grammaticam; atque Platone etiam apertius auctor libelli *de rep. Athen.* 2,8 ἔπειτα φωνὴν πᾶσαν ἀκούοντες ἐξελέξαντο τοῦτο μὲν ἐκ τῆς, τοῦτο δὲ ἐκ τῆς. καὶ οἱ μὲν Ἕλληνες ἰδίᾳ μᾶλλον καὶ φωνῇ καὶ διαίτῃ καὶ σχήματι χρῶνται, Ἀθηναῖοι δὲ κεκραμένῃ ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων καὶ β α ρ β ά ρ ω ν, ac posteriore aetate Tatianus *ad Graec.* 2 τὰς μὴ συγγενεῖς ὑμῶν ἑρμηνείας τετιμήκατε, βαρβαρικαῖς τε φωναῖς ἔσθ᾽ ὅτε καταχρώμενοι συμφύρτην ὑμῶν πεποιήκατε τὴν διάλεκτον, Philostratus *vit. soph.* II 7 ἡ μεσογεία τῆς Ἀττικῆς ἀγαθὸν διδασκαλεῖον ἀνδρὶ βουλομένῳ διαλέγεσθαι, οἱ μὲν γὰρ ἐν τῷ ἄστει Ἀθηναῖοι μισθοῦ δεχόμενοι Θρᾴκια καὶ Ποντικὰ μειράκια καὶ ἐξ ἄλλων ἐθνῶν βαρβάρων ξυνεῤῥυηκότα παραφθείρονται παρ᾽ αὐτῶν τὴν φωνὴν μᾶλλον ἢ ξυμβάλλονταί τι αὐτοῖς ἐς εὐγλωττίαν, ἡ μεσογεία δὲ ἄμικτος βαρβάροις οὖσα ὑγιαίνει αὐτοῖς ἡ φωνὴ καὶ ἡ γλῶττα τὴν ἄκραν Ἀτθίδα ἀποψάλλει, Athenaeus III 121 F παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι τοῖς σφόδρα ἑλληνίζουσιν ἔστιν εὑρεῖν καὶ Περσικὰ ὀνόματα κείμενα διὰ τὴν τῆς χρήσεως συνήθειαν . . . ., μακεδονίζοντάς τ᾽ οἶδα πολλοὺς τῶν Ἀττικῶν διὰ τὴν ἐ π ι μ ι ξ ί α ν. Hinc Cicero *Brut.* 74, 258 *confluxerunt*, inquit, *et Athenas et in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis. quo magis expurgandus est sermo et adhibenda tamquam obrussa ratio quae mutari non potest* (h. e. ἀναλογία), *nec utendum pravissima consuetudinis regula.* Quo magis autem rustici et peregrini sermonis usus in urbem Romam irrepsit, eo accuratius vernaculae linguae leges civi Romano observandas esse, quibus sermo urbanus discerneretur

---

1) Neque id fortasse casui tribuendum, quod Caesar, dum in ipsa Gallia, quasi alumna illa male loquendi, versatur, ubi sine dubio verba *inaudita atque insolentia* quae dicit (Gell. I 10) permulta audiebat, *de analogia* libros scripsit (Suet. *vit. div. Iul.* 56 Fronto p. 203), quibus eum *rationem latine loquendi* exposuisse Cicero ait *Brut.* 72, 253.

2) Ceterum pravum illud veterum de mixta lingua latina commentum radices egisse notum est in nostri adeo saeculi confinium: unde erat aliquid, cum Lepsius a. 1833 in nobili de tabulis Eugubinis dissertatione inter theses adiectas hanc primam proponeret: „Linguam Latinam non magis esse mixtam quam Germanicam Graecamve."

a rustico et peregrino, eius temporis viri principes Caesar Cicero Varro et ratione obtinuerunt, cum libros ederent de sermone latino et de analogia scriptos, quibus pure incorrupte usitate, denique urbane loquendi leges constituerent, et ipso usu firmaverunt, ut maxime in orationibus Cicero, in orationibus et commentariis Caesar. Cuius rei nobilia sunt Ciceronis testimonia *Brut.* 46, 170 sqq. 74, 259 sqq., *ep. ad fam.* IX 15, 2. Ac vide modo, quemadmodum Varro latinum sermonem definiat (fr. 41 Wilm.): *latinitas est incorrupte loquendi observatio secundum romanam linguam*[1]), et ab his quantum distet Quintiliani dictum *inst. or.* I 5, 55 sqq. *verba aut latina aut peregrina sunt. peregrina porro ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut instituta*[2]) *etiam multa venerunt. taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque: nam ut eorum sermone utentem Vettium Lucilius insectatur,*[3]) *quemadmodum Pollio reprehendit in Livio Patavinitatem, licet omnia Italica pro Romanis habeam* (secuntur verba a Gallis Afris Hispanis Graecis petita). Quibus non poterat hercle dicere superbiora, quamquam his ipsis verbis, quantum sui aevi homines a prisca illa dignitate ac gravitate desciverint, invitus idem demonstrat. Varronis autem libros *de sermone latino* scriptos sic tantum intellego, si quae eodem tempore Cicero cum summa et subtilitate et arrogantia (cf. maxime *de or.* III 11, 42 sq.) de urbanitate civis Romani propria disputarit considero. Velut ideo Varro tam accurate de aspiratione egit quibusdam vocabulis aspirari vetans (fr. 58. 58 A—58 D), quia perversa vocabulorum aspiratio ab homine urbano aliena habebatur, quod constat cum nobili illo Catulli epigrammate Ciceronisque hac de re querellis (*or.* 160) tum Nigidii Figuli testimonio (apud Gellium XIII 6): *rusticus fit sermo, si adspires perperam.* Porro egit de *i* et *ei* vocalium discrepantia ascitis Lucilii versibus notissimis (fr. 44 sq.): quod qua de causa fecerit, iterum docet Cicero *de or.* III 12, 46: *Cotta . . ., cuius tu illa lata . . . nonnumquam imitaris, ut iota litteram tollas et ē plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos sed messores videtur imitari.* Cuius usus exempla affert ipse Varro *r. r.* I 2, 14 *rustici etiam nunc quoque viam veham appellant* et I 48, 3 *spica . . . rustici, ut acceperunt antiquitus, vocant specam:* quae postrema adscripsi propter cognationem, qua sermonem rusticum cum antiquo coniunctum esse Varro dicit; fuisse enim qui rustice loquentes putarent se loqui antique Cicero allato eiusdem Cottae exemplo queritur *de or.* III 11, 42: *rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videtur; ut tuus, Catule, sodalis L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate linguae sonoque vocis agresti et illud quod loquitur priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum* (similiter *Brut.* 137).[4]) Atque

1) Diomedes qui haec tradit ex Varronis libro *de grammatica* videtur hausisse (cf. Usenerus in nunt. acad. Bavar. 1892 p. 623, 1 et p. 642); sed eandem definitionem etiam in libris *de serm. lat.* locum habuisse per se patet.

2) Vides iterum notari morum linguaeque conexum, de quo supra verba feci.

3) Cicero etsi *urbanus* sui aevi vocabulum esse censet (cf. *ep. ad fam.* III 8, 3 *te, hominem non solum sapientem, verum etiam, ut nunc loquimur, urbanum,* vide Quintil. *inst. or.* VIII 3, 35), tamen iam Lucilii temporibus faceti homines, qui fuerunt in urbe cum P. Scipione, consuetudinem quorundam rustice loquendi acerbissime castigabant: hinc originem duxit inimicitia quae fuit inter Lucilium et Accium; ille enim a Scipionis partibus stabat, qui ut aequalibus ita posteris quasi exemplar pure emendate latine loquendi habebatur (cf. Cic. *Brut.* 74, 258 Fest. p. 273, 9).

4) Prae ineptiis multis et monstris, quae peperit prava antiquorum grammaticorum doctrina multa egregie ab eis primis esse observata non obliviscendum est. Velut ipsa illa rustici et antiqui sermonis cognatio vide quam sit vera ac nostra quoque aetate probata: qua Varro saepe utitur in libris *de lingua latina,* et *de serm. lat.* fr. 58,

quo clarius fiat, quantopere haec studia tum non solum floruerint apud grammaticos, sed in vulgus nota fuerint, commemoro Laberii mimum cui inscriptus est titulus *Late loquentes* [de quo nunc cf. etiam Marxius in editione auctoris ad Herennium prolegg. p. 96]: 'lata' enim litterarum appellatione aures urbano sermoni assuetas quam maxime offensas esse et illo Ciceronis loco quem supra attuli (*de or.* III 12, 46) perspicitur et hoc *Brut.* 74, 259 *Cotta qui se valde dilatandis litteris a similitudine Graecae locutionis abstraxerat sonabatque contrarium Catulo, subagreste quiddam planeque subrusticum*; nec multo post Aufustius grammaticus ad Asinium Pollionem librum scripsit de genere quodam *dilatandi* verba, quae io litteris finiuntur, cf. fragm. Paris. in Keilii GL. VII 35, 1 sqq.[1]) Homines igitur rusticos nescio quos Laberius in scaenam produxit; atque eodem argumento iam Aristophanes in Acharnensibus tersas Atticorum aures delectarat,[2]) et Sophronis mimos secutus etiam Theocritus (15, 88) mulieres πλατειασδοίσας h. e. δωριζούσας[3]) induxit[4]) Itaque quo quis urbanius loquebatur, eo magis laudabatur; rusticum et peregrinum sonum mira cum subtilitate spernebant, et, qui essent in lingua barbarismi, accurate docebant. Hinc Caesar, cuius auctoritas etiam in hoc genere primaria fuit, Terentium in summis ponebat ut *puri sermonis amatorem* (Suet. *vit. Terent.* p. 34 Reiff.); contra Statius Caecilius, natione Insuber Gallus, male videbatur locutus esse, cf. Cic. *ep. ad Att.* VII 3, 10: *secutusque sum, non dico Caecilium — malus enim auctor latinitatis est —, sed Terentium,*

---

ubi Sabinorum *fasena* (i. q. *harena*) comparat cum v. *fircus* (i. q. *hircus*) quod dicit esse *antiquorum.* Ex posterioribus grammaticis, qui ad eandem sententiam pervenerit, unus occurrit Caper vel is, qui adhibitis eius libris scripsit de orthographia: VIII 103. 9 *vasa istaec vinaria sunt, vinaria cella | vulgus adhuc retinet de prisca verba loquela.* Item perbene observatum est, quod Cicero dicentem facit Crassum *de or.* III 12, 45 *equidem cum audio socrum meam Laeliam — facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper quae prima didicerunt —, sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire* e. q. s. (cf. *Brut* 58, 210 sq.), propter quod dictum Ciceronem laudat Maximilianus Muellerus, Lectures on the science of language, ed. VI Lond. 1871 vol. II p. 39 sq. Quamquam hac quidem in re Ciceroni laudem inventoris detraho, cum idem inveniam doceri iam a Platone in *Cratylo* 418 B: γυναῖκες, αἵπερ μάλιστα τὴν ἀρχαίαν φωνὴν σῴζουσιν.

1) Cf. etiam Gregorii Turonensis de Hispano quodam iudicium (*hist. Franc.* IX 6 p. 362, 12): *erat ei et sermo rusticus et ipsius linguae latitudo turpis atque obscoena.*

2) Cf. etiam *Nub.* 870 sqq., ubi postquam Phidippides dixit κρέμαιο, Socrates ipsam vastam αι diphthongi pronuntiationem vituperat: ἰδοὺ κρέμαι', ὡς ἠλίθιον ἐφθέγξατο | καὶ τοῖσι χείλεσιν διερρυηκόσι, h. e. labris diductis (Quint. XI 3, 81).

3) Cf. Demetr. *de eloc.* 177 τὸ δὲ ὀγκηρὸν ἐν τρισίν, πλάτει μήκει πλάσματι, οἷον βροντὰ ἀντὶ τοῦ βροντή· καὶ γὰρ τραχύτητα ἐκ τῆς προτέρας συλλαβῆς ἔχει καὶ ἐκ τῆς δευτέρας μῆκος μὲν διὰ τὴν μακράν, πλατύτητα δὲ διὰ τὸν Δωρισμόν. πλατέα λαλοῦσι γὰρ πάντα οἱ Δωριεῖς.

4) Non tam ad linguam rusticam quam ad mores rusticos Ciceronis epistola quaedam (*ad fam.* VII 31) spectat, qua amicum quendam ut veniat rogat: *vides enim exaruisse iam veterem urbanitatem, ut Pomponius noster suo iure possit dicere, nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam* (189 Ribb.). *ergo is tibi, nos ei succedimus.* Pomponii versus admodum memorabilis est: urbanitatis enim laudem sibi ceterisque Atellanarum scriptoribus vindicat auctor, apud quem, ut cum ipso loquar (v. 7), *rusticatim tangunt, nam urbanatim nesciunt.* Versu illo qui est apud Ciceronem Pomponius sine dubio se defenderat adversus calumnias, quas togatorum scriptores ei ingesserant, ut Titinius versu maledicentissimo invectus in eos *qui obsce et volsce fabulantur, nam latine nesciunt* (104 R.). Quae crimina Pomponius reicit in calumniatorem et illo versu et hoc (138) *quasi servi comici commictilis.* Rusticam igitur Musam ab urbe exulare Pomponius non magis voluit quam Theocritus et Sositheus Alexandrini poetae Romanusque Vergilius, de quo faceto Horatius *sat.* I 10, 44, sq. *molle atque facetum | Vergilio adnuerunt gaudentes rure camenae*, quibus de versibus cf. Ribbeckius, Agroikos p. 58. Quamquam Theocriti musam pastoralem reformidare urbem Quintilianus dicit (X 1, 55), forensem scilicet instituens oratorem.

cuius fabellae propter elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi; itemque Pacuvium, Oscum et natione et nomine, male locutum esse Cicero dicit *Brut.* 74, 258. Atque Tingam quendam Placentia oriundum Hortensius reprehendit, qui *preculam* pro *pergula* diceret (Quint. I 5, 12), ut in Livio Patavinitatem vituperavit Asinius Pollio. Denique cf. Cic. *pro Arch.* 26 de Q. Metello Pio: *qui usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederit.* Ceterum breviter moneo ne haec quidem Romanorum studia secerni posse a Graecorum studiis, quibus purum sermonem Atticum recuperare volebant. Cf. maxime Ciceronem *de or.* III 11, 40 sqq., ubi postquam sermo urbanus quantum distaret a rustico exposuit, adicit (42 sq.): *hanc dico suavitatem, quae exit ex ore; quae quidem ut apud Graecos Atticorum, sic in latino sermone huius est urbis maxime propria: Athenis iam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit . . ., tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus non verbis sed sono vocis, nec tam bene quam suaviter loquendo facile superabit.*

Pauca addo de Varrone grammatico, rerum metricarum auctore. Caesius Bassus de versu hendecasyllabo sic disputat GL. VI 261 K. *quinta divisio est hendecasyllabi hoc exemplo,*

castae Pierides novem sorores.

nam secundum primum spondeum insertus huic hendecasyllabo anapaestus ionicum sotadeum facit sic,

castae dociles Pierides novem sorores.

ex quo non est mirandum quod Varro in cynodidascalico (*sat.* fr. 230) *phalaecion metrum ionicum trimetrum appellat, quidam ionicum minorem.* Qui hendecasyllabum Phalaecium anapaesti detractione ex sotadeo oriri voluit, non poterat versum incipere nisi a basi spondiaca: quod re vera fecit Varro in saturarum hendecasyllabis qui sunt numero octo (49. 101. 565 sqq.) et in duobus quos sub imagine Demetrii Phalerei scripsit (Nonius p. 528). Quodsi hac de re in satura disputabat, sine dubio poetas illos vituperavit, qui pro basi spondiaca admiserunt vel trochaicam vel iambicam, quo in numero fuit Catullus. Iam vero hunc videmus carmine 55, h. e. in versibus viginti duobus nusquam adhibere basin aliam nisi spondiacam, quod casu factum esse nemo contendet; immo vix dubium est, quin Varronis auctoritate permotus sit. Quod recte conici alia re evincitur, quam detexit Kiesslingius in praefatione Horatii *carm.* ed. II p. 5. In eodem enim carmine Catullus alternis versibus pro dactylo ponit spondeum, ut *oramus si forte non molestumst,* vel: *in campo quaesivimus minore;* atque spondeum non flagitari sed recte admitti, si hendecasyllabus ex sotadeo oreretur, Kiesslingius statuit; mirum autem est, quod a l t e r n i s v e r s i b u s posuit aut spondeum aut dactylum (nam post v. 13 eam ipsam ob causam, quia haec lex duobus spondeis sese excipientibus violatur, recte unum versum intercidisse vulgo statuunt): quod qui a poeta eo consilio factum esse arbitrantur, ut gravibus spondeis pingeret quasi molestias quaerendi, id quemadmodum demonstrare velint ipsi videant. Nonne ideo fecit, ut Varroni, severo iudici ac summae auctoritatis viro, placeret? Inter eiusdem aevi poetas M. Furius Bibaculus in versuum septendecim principiis ter posuit iambum (bis in nomine proprio), alias

spondeum, unde ei quoque Varronis regulam notam fuisse verisimile est. In binis qui aetatem tulerunt Calvi[1]) et Cinnae hendecasyllabis et in uno Cornificii item spondeus legitur; in Maecenatis octo perperam quidam *anulos* edunt, cum in quibusdam codicibus legatur *anellos*, in uno versu (apud Suetonium, *vit. Horat.* p. 45 Reiff.) hanc ipsam ob causam improbanda quorundam coniectura *hinnulo*, cum in codicibus corrupto legatur *nimio* vel *ninio* vel *ninno*, nam in ceteris sex versibus spondei adhibentur. In Priapeorum hendecasyllabis ducentis octoginta duobus mirum est quod semel tantum (4, 2 *dicans ex Elephantidos libellis*) spondeus neglegitur, in ceteris versibus non minus accurate observatus quam apud Martialem, nam *nemo* 32, 9 etiam Ovidio *ex ponto ep.* II 3, 23 pro spondeo est. De reliquis poetis vide Muellerum de re metrica p. 161 sq. Ex his quae composui, quanta fuerit in hac quoque re Varronis auctoritas, luculenter apparet; quid quod in scholis hendecasyllabos esse commata sotadeorum doceri Quintiliani (h. e. Palaemonis) verbis I 8, 6 quae affert Kiesslingius constat.

Catullus basin spondiacam solam adhibet etiam carminibus 56 et 57 h. e. in versibus septendecim. Atque vix casu factum est, quod carmina 55. 56. 57 sese excipiunt; neque enim verisimile est Catullum probata Varronis regula rediisse ad licentiam, cui antea indulserat; sed in solo carmine 55 quod ausus erat, pro dactylo ponere spondeum, id ita displicuisse videtur, ut numquam idem repeteret (nam carmen 58[b], ubi bis spondeum pro dactylo posuit, cum carmine 55 ita coniunctum est, ut quasi προέκδοσις eiusdem habendum sit): neque ipse Varro in eis quos fecit hendecasyllabis pro dactylo unquam posuit spondeum. Itaque Catullus carmina illa composuit post cetera hendecasyllabis versibus concepta, h. e. fere post a 696, circa hunc enim annum Lesbiae repudium renuntiavit (cf. Schwabii quaest. Catull. p. 129 sqq.); nam carmen 58 *Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa, Illa Lesbia quam Catullus unam Plus quam se atque suos amavit omnes* e. q. s., ubi in versu altero trochaeum pro spondeo admissum esse vides, propter ipsum argumentum non multo post discidium Lesbiae componi poterat.

Atqui Catullus[2]) Varronis praecepta non ex alio eius opere quam ex ipsa illa satura potuit cognoscere, neque enim quidquam compertum habemus de alio Varronis opere ante Catulli mortem confecto (nam libri *de sermone latino* et *disciplinarum* multo post scripti sunt),

1) Tamen etiam a Calvo iambum admissum esse certo potest demonstrari. Plinius enim *epist.* I 16, 5 de Pompeio Saturnino haec refert: *facit versus quales Catullus aut Calvus. quantum illis leporis dulcedinis, amaritudinis amoris. inserit sane, sed data opera, mollibus levibusque duriusculos quosdam, et hoc quasi Catullus aut Calvus.* Quibus verbis significari trochaeum vel iambum in basi metri hendecasyllabi admissum iam Muellerus coniecit de re metrica p. 163; quod verum esse demonstratur collatis notissimis illis maioris Plinii verbis quae leguntur in *naturalis historiae* praefatione ad Vespasianum imperatorem: *libros naturalis historiae . . . natos apud me proxima fetura licentiore epistula narrare constitui tibi, iucundissime imperator . . ., 'namque tu solebas nugas esse aliquid meas putare', ut obiter emolliam Catullum . . .; ille enim, ut scis, permutatis prioribus syllabis duriusculum se fecit quam volebat existimari a Veraniolis suis et Fabullis.*

2) Metrico artificio Catullus usus est etiam carmine 14 non trimetris concepto sed hexapodiis iambicis, id quod imitati sunt Bibaculus (cf. Quintil. X 1, 96), auctor catalepti octavi et Horatius epodo decima sexta. Neque enim sine grammatica auctoritate Catullum haec novasse Horatius ostendit, cum in *arte poetica* v. 251 sqq. ante trimetros fuisse puros iambos doceat secutus sine dubio rationem quandam metricam a grammatico nescio quo inventam. Fortasse Catullus etiam alia in re Varronem secutus est: puto enim eum, cum scriberet 9, 5 *o mihi nuntii beati*, genitivum in *ii*, quo violatur lex illa primum a Bentleio observata ad Terent. *Andr.* II 1, 20, posuisse ex Varronis praecepto, quo 'Lucii' 'Aemilii' sim. scribi iussit. Neque enim Lachmanni ratio (in Lucret. p. 326), quam probat Buechelerus decl. lat. [2] § 181, mihi prorsus sufficere videtur.

in quo talia doceret, neque Tyrannionis liber *de arte grammatica*, ex quo Varroni illius rationis cognitio venisse videtur, ante a. fere 694 Varroni innotuit. Hinc saturam illam anno fere 696 compositam fuisse sequitur.[1])

Non multo post, ut hoc adnectam, aliam saturam editam fuisse facile demonstrari potest. In satura enim quae inscripta est *Sexagesis* Varro a civibus propter opprobria eis facta more prisco in Tiberim se depontari fingit. Itaque saturam illam scripsit sexagenarius, h. e. anno 698. At nonne poterat hunc aetatis terminum fingere, etiamsi aliquot annis post saturam scripsit? Id cum per se ab omni probabilitate plane abhorreat, tum propterea non multo post edi potuit, quia anno 709 de saturis suis ipse sic locutus est apud Ciceronem *ac. post.* I 8 *in illis veteribus nostris, quae Menippum imitati non interpretati quadam hilaritate conspersimus.* Sed hoc utut est, in eadem satura memorabile, ni fallor, legitur testimonium, quo efficitur, quando Varronis antiquitates humanae absolutae fuerint. Homo enim quidam de plebe Varroni, quantopere mores in peius mutati sint, vociferanti *erras, inquit, Marce; accusans nos ruminaris antiquitates* (fr. 505). En ipsas 'antiquitates', neque enim aliter pluralem numerum interpretari poteris. Eas igitur anno 698 absolverat, vel paullo ante: ruminatur enim eas. At lege saturae fragmenta: antiquorum temporum laudem ita cumulatam invenies, ut in alia nulla, nisi fortasse in γεροντοδιδάσκαλῳ; quod optime explicatur, si saturam antiquitatibus confectis statim editam esse ponimus.

---

1) Ceterum Varronem, quas ratione constituerat leges de versibus recte pangendis, eas ipsum usu obtinuisse, etiam alio exemplo potest confirmari. Gellius enim XVIII 15, 2 haec profert: *M. etiam Varro in libris disciplinarum scripsit, observasse sese in versu hexametro, quod omnimodo quintus semipes verbum finiret et quod priores quinque semipedes aeque magnam vim haberent in efficiendo versu atque alii posteriores septem, idque ipsum ratione quadam geometrica fieri disserit.* Quod de caesura semiquinaria ommimodo observata dicit, id Bentleius in schediasmate de metris Terentianis (p. XXXV sq. editionis a Vollbehrio paratae Kiliae 1846) vehementer vituperavit ascitis Lucretii Catulli aliorum exemplis quae contra Varronem facerent. Varro tamen, qui legem illam secundum rationem metricam supra commemoratam constituebat, ipse a regula sua non deflexit. Neque enim casui tribuendum, quod in undetriginta saturarum versibus hexametris quintus quisque semipes verbum finit. Neque enim hic versus contra regulam factus est (181):

ergo tum sacra religio castaeque fuerunt
res omnes.

Quibus in verbis sane *religio* Buecheleri est coniectura, cum codices exhibeant *regiose* vel *religiose*, sed certa videtur esse emendatio. Excusatio autem versui parata est ex vocabulo composito quod est *religio*: neque enim poetas ab Ennio usque ad Vergilium et Horatium praepositionum etiam monosyllabarum diremptionem vitasse notum est. Falso autem Schmidtius in Ritschelii opusculorum vol. III p. 591, quem sequitur Baehrensius fragm. poet. Rom. p. 296 sq., Varroni tribuit qui apud Hyginum *fab.* 221 extant versus de septem sapientium dictis: in septem enim versibus istis bis contra regulam peccatur; quod etsi fit in nominibus propriis:

'optumus est' Cleobulus ait 'modus', incola Lindi.
ex Ephyra Periandre, doces 'cuncta emeditanda',

tamen hinc excusationem parari vix crediderim.